

Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Disputationes Chirurgicæ Selectæ

Haller, Albrecht von

Lausannæ, MDCCLV.

VD18 90538889

Vorwort

urn:nbn:de:gbv:45:1-16577

P R Æ F A T I O.

Secundam hic sisto partem tractationis de articulatione capitis cum prima atque secunda colli vertebra, quam scilicet ante decendium peculiari sic prosecutus sum disputatione, ut, maxime ligamentis illorum ossium fuisse ac distincte traditis, non modo partem anatomie haud ignobilem dilucidasse, forsitan & locupletasse mihi videar; sed & simul varios usus, strictim quidem, interspersem. Crevit tum sub calamo pagellarum numerus, ut quae pro instituti ratione addenda ampliusque deducenda fuissent physiologica coactus fuerim abrumpere. Unde jam paucis ea supplere primum animus est physiologica, quae proxime connectuntur cum primaria praesenti tractatione luxationis nucae: idemque thema dehinc ad incidem revocare medico-chirurgicam. Sponte fluens ex his momentosa consecratorum biga: quod non adeo facilis atque frequens sit, ut vulgo reputant, luxatio nucae: si vero acciderit, quanto cum periculo, quantaque curationis difficultate sit conjuncta? Quae in contextu subsequo praesentis dissertationis in parenthesis per liter. numeral. I. Romanam notantur, se referunt ad mperim. disp. de articulatione capitis. Conatibus nostris adspiret DEUS benignissime!

§. I.

Capitis articulatio cum prima & secunda colli vertebra est firma, fortis, imo validissima. Suae quidem partes in obfirmanda hac ossium compage debentur quoque ipsis istis ossibus, qua substantiae soliditatem & amplitudinem, atque processuum cum sinibus harmoniam, uti & musculis vasisque suo loco recensitis; ligamentis tamen longe maxima & praecipua colligandi atque retinendi vis est vindicanda. Haec enim a potiori gaudent notabili tono atque robore, quod aliquam quidem extensionem, sed modicam admittit, violentae nimiaeque resistit. Alia tamen aliis sunt crassiora, compactiora, magis tendinescentia, imo cartilaginea.

Vis itaque non modo valide vincendi, sed & externae resistendi violentiae debetur potissimum conferto agmini fibrarum tenacium, arctissime junctarum & sibi implicitarum, ligamentum constituentium; (l. §. 21. 18. 19. &c.) tum & multitudini variorum ligamentorum invicem complicatorum, vel ad eundem usum conspirantium: (l. §. 18. 26. 24. &c.) imo nonnullorum brevitati, cum crassitie ac multitudine fibrarum tendinearum combinatae: (l. §. 21. 12. in initio, 10). Ac denique plurium in diversa ejusdem ossis regione adhaesioni, exemplo processus dentiformis liga-

Tom, 11.

Y y

ment-

